comitis provincialis Thuringie, ex qua genuit filiam Hedwigem et filios Ottonem et Theodericum. Hec Jutta obiit anno Domini M°CC°XX. Fredericus de Brene iunior anno Domini M°CC°XXI mortuus fuit in transmarinis partibus in civitate Akkaron vel Akon. Reliquit autem duos filios Ottonem et Theodericum. Et hec de genealogia filiorum Conradi marchionis pro presenti sufficiant. Ad certam lineam descendencium Ottonis marchionis Missnensis, principum modernorum Frederici et Wilhelmi, descendatur.

Undecimus stirpes.

Theodericus, filius Ottonis marchionis Missnensis, comes in Wissenfels anno M°C°XCVI in transmarinis partibus constitutus morte fratris sui cognita, cum redire disponeret imperatoris insidiis adeo artatus fuit, ut publice navem ingredi non auderet, sed a fidelibus suis lagena inclusus et navigio illatus sicque, donec in altum maris procederet, occultatus est. Imperator enim marchiam Missnensem suis usibus reservare volens presertim propter fodinam argenti in Friberg tunc valde bonam, fidelibus suis eam commisit procurandam, que etiam usque ad mortem Hinrici VI. imperatoris procedente procurata fuit. Mortuo autem imperatore Hinrico VI. apud Sanformium veneno et Spire sepulto et verius translato anno M°C°XC°VII Theoderico reverso in patriam iuvamine et adiutorio soceri sui Hermanni Thuringie lantgravii et presertim populi et militarium benivolencia, qui magno gaudio gavisi dominum et principem, filium marchionis, revenisse, marchiam Missnensem cum omni patrimonio acquisivit ac eam pacifice et quiete per